

inter Camtschatcam et Americam sibi familiariter et nomine notas enumerant. — Quum *Cetacea* in eo praesertim a *Lactantibus* reliquis differant, quod artus posticos exosses, in caudam cartilaginibus ful-tam coadunatos obtinent, jure primum in hoc ordine locum Manato vel Trichecho concedere necesse est, licet is paulo plus, quam reliqua genera, ad quadrupedum structuram accedat.

### XXXII. M A N A T U S.

Fabulae non absimile genus hoc duas tantum hodiernum species easque distinctissimas agnoscit. Sed est suspicio in longinquis mari-bus adhuc plures dari congēneres, quae nondum sibi invenerunt de-scriptores accuratos. Ut enim de animali singulari marino a *dili-gentiss. Stellero* (\*) in itinere Americano eminus observato nihil di-cam, videntur in immensis Americae meridionalis fluviis et maribus quaedam incognita latere hujus similitudinis animalia. Sic enim *Gilli* Manatum fluvii Orinoco describens (\*\*), quem in terram exire et herbis pasci perhibet, et mole Juvenco comparat, curiose distin-guit ab affini alio animali in terram nunquam exiente, sed dimidio saepe sui corporis supra aquas eminente, quod ab incolis Orinoci *Atun*, ab Hispanis *Tonina* dicitur. Et quid non expectandum est ex immenso antarctico Oceano?

142. M A N A T U S *borealis*. TAB. XXX.

M. edentulus, cauda biloba, corpore epidermide loricato.

Vacca marina, *Steller. Nov. Com. Petrop. II. p. 294. Beschv. der Seethiere.*

(\*) Conf. *Pennant. Zool. arct. I. p. 181. seq.*

(\*\*) *Saggio di Storia Americana (Romae 1780.) Tom. I. p. 84. ubi etiam de-lineat Manatum fig. 1.*